



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

Julius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)



J U L I U S.

S. EBERHARDUS
EPISCOPVS.

1. Julii.

*Satagite ut per bona opera certam,
vestram vocationem & electionem
faciatis, hæc enim facientes non
peribitis aliquando. 2. Petri.*

EBERHARDVS gente Bojus, genere Comes, cum è Collegio Bambergensium Canonicorum ad Religiosorum se Juvenis transtulisset, à suis inde nolens extractus & in Gallias est amandatus; ut (quod hodie etiam amat fieri) cum veste mores sanctos & sanctiora proposita poneret. Sed non præpotuère Numini amicorum inimica consilia. Redux enim in idem monasterium se abdidit; Biburgensi dein Asceterio mox etiam Salisburgensi Episco-

A

pisco-

piscopatui iussus præesse, in miseros, Si quisquam alius, pius fuit. Itaque promum condum etsi seniculum insequi hospitem Biburgo Ratisbonam usque compulit, &, quem transeunti negaverat, vini haustum deferre: ipse, cum Italiam peteret, agræ mulierculæ equum cessit & pedes Apenninum conscendit. Elephantiacorum cum & corpora & animos curaret, reddente ex his uno cum vomitu Divinum Epulum, ore suo omnia excepit, nec multò post cognovit, sub agro illo Christum latitasse virtutis suæ exploratorem. Dum vixit, nulli unquam quidquam **MARIÆ** nomine petenti denegavit, ideóque mortuum nonnemo sinu **MAGNÆ MATRIS** velut infantem foveri vidit, & nectare, quod ipsa illi **VIRGO** libavit, inebriari. Quid hic agitis Sodales Mariani? Matrem esse vestram **MARIAM** vultis pauperum patres esse. Et profectò aut filii **MARIÆ** non estis, aut Fratri **EBERHARDO** sinum invidetis. *Ex tom. 2. Henric. Canis. & Tom. 1. Bav. S.*

M E D I T A T I O.

De cura cujusvis suam vocationem adimplendi.

1. **S**. Eberhardus præelegit tenebras asceterii præpublica luce Ecclesiastici honoris. *Curritur in*
qui

quit S. Bernardus super Cantica *In Clero passim ab omni etate & ordine, à doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit.* Prima igitur cura sit cuique in sua vocatione salutem suam curare. *Quid prodest homini, si mundum universum, suis curis & laboribus lucretur; anima vero detrimentum patiasur.* Marci 8.

2. Non præpotuere amicorum inimica consilia à sanctioribus propositis S. Eberhardum abstrahere volentium. Quam multa facimus nos in gratiam amicorum, & hæc faciendo damnamus unicam nostram, & *quam tibi dabit vel subditus, vel uxor, vel liberi, vel amicus pro anima tua perdita commutatione?* Matt. 16.

3. Duplici curâ S. Eberhardus specialiter enituit, cura corporis Christi mystici in fovendis pauperibus, & cura corporis dominici in Ss. Eucharistia & his certam fecit vocationem suam. *Veniet filius hominis in gloria patris sui, & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Matt. 16. NB. non judicabit secundum titulos vel Ecclesiasticæ vel sæcularis dignitatis, sed secundum opera.

VISITATIO B. M. V.

2. Julii.

Vt audivit salutationem Mariae Elisabeth exultavit infans in utero ejus, & repleta est spiritu sancto.

Luc. c. 1.

A 2

Redi-

Redibat in astra Numinis ad MARIAM
 legatus quem venturum terris nuntia-
 verat, coelo venisse nuntiaturus. At VIR-
 GO DEI jam plena, visendi ad cognatam Eli-
 sabetham studio in viam se dedit. Hanc mon-
 stravit, qui sub utero iuit comes, ingens
 MATRI, sed dulcis sarcina. Hic viæ laborem
 temperabat, ut expeditior nunquam iverit
 MARIA; quàm sic onerata. Jam sub aspe-
 ctum mutuum venerant geminæ cognatæ,
 jam in Amoris vincula brachia coiverant,
 cùm gaudio gestiens in Elisabetha infans ver-
 bum in utero latens ex utero prodidit, jam
 tum vox clamantis. Tunc novo prodigio
 Virginitas sterilitati, & sterilitas Virginita-
 ti foecunditatem est gratulata: tunc, quas te-
 xere Angelus coeperat MARIÆ laudes, perte-
 xere Elisabetha, Domini Matrem salutare,
 quæ ancilla venerat, super omnes illam mu-
 lieres efferre, ipsum cum primis laudibus in
 coelum tam sancti uteri hospitem tollere.
 Itaque oraculis domus personare, VIRGO
 lætitia etiam ipsa exultans, quo DEUM ma-
 gnificaret carmen canere, cui omnem pal-
 mam vates concedent. Certè ut superi deli-
 cati sint (quippe dulci semper Musicæ assue-
 ti) tunc tamen Terræ cantus probârunt.

nec hodie, puto, facilius aures Marianis
præbent, quàm MARIAM MARIÆ verbis
laudantibus, tunc præsertim, si vox Virgo
accedat, quam dicere ausim tam libenter
audiunt Angeli, quàm nos Angelorum au-
dimus. *Ex Hist. Evang.*

M E D I T A T I O.

De Visitatione B. Mariae Virg.

1. **A**biit in Montana Deus humanas mentes agit in
sublime. D. Augustinus Serm. II. de Nativita-
te Virginis. *Cum esset gravida Maria salubri levitate
plaudebatur, lumen enim quod intra se habebat, pondus ha-
bere non poterat. In quo nimirum vivit gratia Dei, is
facile perumpit ardua in servitio divino, & nunquam
non feliciter equitat, quem gratia Dei portat, inquit Kem-
penfis.*

2. *Abiit cum festinatione.* Gratia & Charitas nesciunt
tarda molimina. Vix Deus homo in utero Virginis
novus Viator conceptus est, & properat ad servum
suum Joannem ut ab Originali liberet. Vix Mater
Domini salutata est Maria & festinat ad Elisabetham
ut ancilletur hominum æquè ac Dei ancilla. Qui to-
ties oras ad Dominum, *Domine ad adjuvandum me fe-
stina, quare tardas si potes adjuvare conservum tuum?
qui succurrere peritura potest, si non succurrerit, occidit.*
Lactan. lib. 6. instit. cap. II.

3. Ut Sancta sit Visitatio & Conservatio tua, læta-
re in Domino cum Joanne exultante; loquere de te

humiliter cum Maria magnificante; de proximo laudabiliter cum Elisabetha benedicente; de Deo admirabiliter cum Zacharia Sacerdote prophetante. *Sic in singulis Maria anima, ut magnificet Dominum; sic in singulis Spiritus Maria ut exultet in Deo.* S. Ambr. lib. 2. Comm. in Lucam.

S. CLARA Virgo Indica

3. Julii.

Habemus thesaurum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. 2. Cor. 4. v. 5.

INter raros novi orbis fructus etiam Virginitas est, quam in S. CLARA Indica merito Europæ puellæ admirentur & æmulentur. Unica hæc Indorum Regis filia erat, cujus indole & forma captus vicinorum regum aliquis, non dispari connubio sibi eam desponsari petiit à Rege Virginis Patre: cujus, cum idem votum esset, facile assensit; at filia omnes deprecata nuptias effugit, Virginitatem à se jam Deo promissam obtinens: quin, ut patris declinaret iram & sponsi insidias metuens, fugam, ut late- ret, arripuit, sed latere CLARA non potuit, infecuti mox, Regis Patris Imperio, nob

les aliqui, cum fugitantis insisterent vestigiis, attoniti videre, flumen oppositum, ad fugitivæ accessum, dividi in partes, & viam facere sicco alveo transeuntis. Non potuit, tanto audito miraculo, pater non cedere filia, cui ipse censissent aqua. Ita Regina Virgo, etiam favente parente, libera, S. Dominici amplexa institutum, annis quinquaginta sanctè vixit, jejuna propè semper, cum non nisi Dominica die herbis & fontanà pasceretur; coelesti tamen liquore divinitus quandoque recreata: quò torrentem voluptatis aeternæ prælibaret. *Arturus à Monasterio in S. Gyneco.*

MEDITATIO,

De Custodia Virginitatis.

1. **S** Clara fugiendo evasit, ut Virgo permaneret. **S** Virginitas thesaurus est in fragili corpore, ideo cautè ambulandum, & ne incidamus in prædatrices concupiscentias, longè fugiendum est. Audi S. Hieronymum Epist. 47. *Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habes quotidie aut perire, aut vincere: qui juxta viperam securos somnos traxit, qua etsi non percutiat, certè sollicitat? Securius est, perire non posse, quàm juxta periculum non periisse.*

2. Fuga S. Clarae miraculo illustrata est, aquarum alveo sese dividente. In periculis peccati constitutis, citra culpam suam, libenter gratiam impendit Deus,

si modò cum fiducia & ardente oratione impleretur,
*Securus transcendendo, quando ille me sub se tenet, qui est
 super omnia. S. Aug: in ps. 6.*

3. S. Clara Virgo annis quinquaginta sanctè vixit;
 jejuna propè semper. *Semper virtuti cibus jejunium fuit.
 De abstinentia quoque prodeunt casta cogitationes, ratio-
 nables virtutes, salubria consilia, & per voluntarias af-
 flictiones caro concupiscentiis moritur, & spiritus invocatur.* Leo Papa de jejunio decimi mensis,

S. UDALRICUS Episcopus.

4. Julii.

*Juvenilia desideria fuge, sectare ve-
 rò Iustitiam, Fidem, Spem & Cha-
 ritatem, & pacem cum iis qui in-
 vocant Dominum de Corde puro.*

2. Tim. 2.

Multum ætas tenera nutricibus debet,
 quæ lac dederunt; plus illis, quæ pie-
 tatem instillârunt. Ipse è cœlo UDALRICUS
 adstipulabitur. Hunc puerum Wiborada
 sanctissima Virgo leviculè fortè cinctum,
 castiore de lino cingulo donavit, jussitque
 primò, liberioribus sermonibus nec lin-
 guam daret nec aurè; mollem cupidinem
 cilicio

cilicio absterreret, ejus flammis sub pectore
 grassantibus, verbis Ecclesiæ in adiutorium
 Deum exciret, simul digito in vocum im-
 misso incendiis incendia opponeret; fœmi-
 nas denique, vel se fœmina autore, fugeret.
 His monitis velut lacte virtus UDALRICI cre-
 vit, ridentis iridentium coævorum turbam,
 qui cum ludibrio, sed sine mendacio, san-
 ctum jam tum clamabant sed graviora testi-
 monia jam Pontifici cœlum dedit, è quo
 manus delapsa sacrificare cum UDALRICI
 manu est visâ, Fluvium in perforata navî,
 nunc sine illa siccus trajecit: Contra Bar-
 baros Augustam Vindelicorum obsidentes,
 Ottoni Imp. præsentia suâ nobilem victo-
 riam peperit. Virginis Augustanæ bona ad-
 versus rapaces manus tutatus commilites
 Cælites habuit, qui variis pœnis in prædo-
 nes pugnarunt. Multis aliis miraculis illu-
 stris fassus tamen est, pœnas se Numini de-
 bere, quòd successorem sibi Nepotem (cæ-
 tera dignum) legisset. Proinde non Nepotes,
 sed pauperes fecit hæredes; in quos moriens
 etiam suppellectilem sparsit. Sed nimirum
 sic vasa colligunt pontifices in cœlum
 migraturi. *Ex Vita.*

MEDITATIO.

De Vita Sancti Udalrici.

1. **J**uvenilia desideria fuge: 2. Tim. 2, ut hæc fugeret S. Udalricus altè impressit animo suo quoad vixit, monitum Wiboradæ Virginis Sanctissimæ; *faminas se quoque faminâ auctore fugeret*: Perpende tecum illud Hieronymi lib. 2, Gest. 14. *nec Sampson fortior, nec Davide Sanctior, nec Salomone potes esse sapientior: memento semper quod Paradisi Colonum de possessione mulier eiecerit. & ibid. periculosè tibi ministrat cuius frequenter vultum attendis.*

2. **S**ectare iustitiam. 2. Tim. 2. S. Udalricus multis licèt miraculis illustris, tamen Numini se pænas debere dixit quod successorem sibi Nepotem [cætera dignum] legisset. An æquè affectus nostros ad iustitiæ libellam examinamus ut minimos defectus observemus? *Sæpe ipsa nostra iustitia ad examen divina iustitiæ deducta, iniustitia est, & sordet in districtione iudicis, quod in estimatione fulget operantis.* S. Gregorius lib. 5. moralium.

3. **S**ectare pacem cum iis qui invocant Dominum. 2. Tim. 2. S. Udalricus Augustâ Vindelicorum à barbaris miraculosè liberatâ, cum victoria pacem tulit. Hæc nota est filiorum Dei placare iratos, & pacem facere. *Si Dei vocantur filii, qui faciunt pacem, procul dubio Satana sunt filii qui pacem confundunt.* Gregor. in Pastor, an pacem diligis? & ea quæ pacis sunt cogitas,

S. VVILHELMUS
A B B A S.

5. Julii.

*Veruntamen existimo omnia detri-
mentum, esse propter eminentem
scientiam JESU Christi.*

Philipp. 3 c. v. 8.

BOjariæ hic WILHELMUS debetur, ex
qua oriundus Monachum Ratisbonæ in-
duit. Hic omnibus omninò artibus excul-
tus, Mathesin tamen præ cæteris coluit,
quod multa atque præclara Monumenta ip-
sius loquuntur literis consignata. eloquen-
tiæ tantæ erat, ut sanctiorem Orpheum di-
ceres, qui saxa etiam traheret. Præsul Hir-
saugiensis in miseros tam pius fuit, ut his
vestiendis non semel panem se ipsum nudârit.
Sed nimirum foenus à nullis majus, quàm
ab his ipsis, qui reddere nihil possunt, ava-
rus speret. Hoc certè WILHELMUS tunc tu-
lit, cum in suorum usus pondo argenti V.
ab ignota terris, sed non etiam coelo manu
abstulit: quid jam horrea memorem, quæ,
quòd WILHELMI liberalitas exhaustisset, su-
bitam miramque messem: quid cellam, quæ
effuso

effuso per negligentiam vino, novam in do-
lio vindemiam viderunt? quid piscatum fe-
licissimum? cum missum sapius in aquas
rete præter inanem laborem diu nihil post
imperio Divi, Christique nomine immis-
sum, ingentem piscium prædam retulit. Ta-
ceo hæc aliæque à morte miracula: & revo-
catam per WILHELMUM ad primas leges D.
Benedicti, per omnem ferè Galliam & Ger-
maniam, familiam, & ad Religiosæ vitæ
amorem vilissimaque in hæc munia exitos
Nobilissimos Juvenes laudo, piscatum priori
longè præferendum. Cæterum astra sua
WILHELMUS propioribus oculis aspexit An-
no Christiano M X C I. Ex Trithemio.

M E D I T A T I O.

*De scientia Jesu Christi ex triplici
libro addiscenda.*

1. **S** Wilhelmus scientiis & libris clarus fuit, disca-
mus Christianam scientiam ex libris. Lege Li-
brum mundi, & disce auctorem tuum & erubescere vo-
lutari in vano, qui es in caelo. Bernard, Serm. 24. in can-
tica, disce secundò finem tuum, Deo seipsum debet ho-
mo eique reddendus est ut beatus sit, à quo accepit ut sit:
disce 3. medium ad finem. Ars artium est rectè vivere:
disce 4. punctum ultimum S. Bern. lib. 2. de confid.
Punctum est à quo pendet aternitas.

2. Disce

2. Disce ex libro vitæ & mortis paucitatem salvandorum, & multitudinem reproborum: *cum timore & tremore operare salutem tuam, nesci enim an odio an amore dignus sis.* Ne tamen altum scrutare; investigabiles enim sunt viæ ejus. Obsequere Augustino. Super Joanne hom. 27. *Nemo venit nisi trahus: nondum traheris? ora ut traharis.*

3. Disce ex libro conscientiaæ tuæ, nosse te ipsum. Liber hic censuram subibit coram universo mundo. Quare in quotidianis examinibus, in ordinariis confessionibus, in usitatis recollectionibus non accuratius relegis? corrigis? & emendas? nec punctum temporis, nec verbum, nec conceptus ullus non censebitur. *Ascende igitur in tribunal mentis tuae contra te, & te constitua ante te.* S. August.

S. GOAR CONFESSOR.

6. Julii.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis quod suum erat diligeret, sed ego elegi vos, propterea odit vos mundus. Ioan. 15.

Jure meritissimo inter Apostolos suos **GOAREM** numerant Trevirenses, ut quibus ille superstitione implicitis, inter primos

primos Deum nunciavit. Sed dum illum æ-
quis auribus vel maximè audivit populus,
iniquis invidia oculis spectavit. quare mo-
re suo subornavit, qui apud Archiepisco-
pum innocentiam ejus insimularent. Ge-
mini erant è fraudibus & mendaciis compo-
siti. Eos GOAR ad se venientes, ut vindi-
ctam Christianam sumeret, amicè accepit,
& ad mensam invitavit. Sed eadem invidia,
quæ non nisi infelicitate GOARIS pasci, nec
bibere, nisi hujus sanguinem avebat, re-
spuit aliis famem aut sitim pellere. Quare ex-
itinere defecissent scilicet, nisi semper ad
vindictam vigilans GOAR feras Christi im-
perio advocasset, & earum lacte recreatos
hostes animam sibi fecisset debere. Ad tri-
bunal Archiepiscopi ubi ventum, luce cla-
rius meridianâ apparuit innocentem esse
GOAREM, quando pallium suum in ipsius
solis radiis suspendit. Adhæc ex puero pro-
jectitio cum jussu Archiepiscopi nomen pa-
rentis quæsisset, ecce facundissimus infans
lingua digitoque ipsum Archiepiscopum
prodidit. Erat hoc scilicet reum, & judi-
cem damnare. Quare populus ad insulam
GOAREM velle vocare, & cum respueret,
vim amicam inferre. Sed ab hac iterum il-
lum

lum ægritudo absolvit, quam precibus à
 coelo extorsit. Præstare, credidit, morbo,
 quàm ambitione laborare. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

Virtutis de invidia triumphus.

1. **V**irtus insignis [mira res] optima mater, pessimam sobolem. S. Goari peperit. An ideo tristari debes, vel an justè irasceris? quia mundus tibi invidet? tibi potius gratulare, & gratias Deo age pro bonis, quæ adversarium tuum cruciant, ipse non doleret nisi prosperè tibi esset. Etsi insuper tibi facit injuriam, *illata injuria non accipientis sed inferentis est miseria.* Boëtius lib. 4. de consol. prof. 4. *Tua vera conscientia fruitur Innocentia bono, & inter ipsas malignitates de innocentia gloriatur.* S. Hieronymus ad Demet.

2. Gloriosa vindicta est quam S. Goar de invidis accusatoribus sumpsit. Venientes ad se amicè accepit, & ad mensam invitavit, Benefaciendo inimicis tuis, congregabis prunas super caput eorum, & tibi colliges rosas ex spinis. Disce exemplo Christi cum ac invidis pharisæis juberetur fugere iram Herodis, dicite vulpi illi inquiebat Luc. 13. Ecce ego demonia ejicio & sanitates perficio, ejice *demonia passionum* tuarum, ut *nulla tui dominetur iniquitas & perfice sanitates.* Stude æmulum tuum benefaciendo sanare.

3. Goaris Innocentiam solares radii suspenso pallio illustrem fecerunt. Sape continget, ut quo magis invidiate contenderit obscurare, eo felicius tibi ope-

ra tua Deo adjuvante succedant. Detegat etiam Deus palliatos prætextus malevolorum & eorum supplantationes dolosas adversum te confundet. *Veritas sola liberat, sola salvat, sola levat.* Bernard.

S. VVILLIBALDUS Episcopus.

7. Julii

*Factum est Regnum hujus mundi
Domini nostri, & Christi ejus.*

Apoc. II. v. 5.

A Nimæ coelo natæ eheu! exilium amamus, patriæ obliviscimur. At non ita **WILLIBALDUS**, è regiâ Anglorum stirpe pulcherrimus flosculus. Vix enim Mundum seque adeò circumspexit, cum illico peregrinum agnovit, ideoque exire hinc quam ocyus nec solus voluit, sed in laudatissimi facinoris societatem Wunebaldum Fratrem & Walburgam sororem, quin Richardum etiam regem parentem exivit. Si nescis, Pater peregrini hîc etiam Reges sumus. Quin igitur is? quò SS. virorum per omnem orbem vestigia atq; adeò Christite ducunt? Exi, ah! exi regno! nisi exis scilicet efferere. Ergo purpura pennulæ, sceptrum baculo, corona galero cedit; atque ita digna Regibus

An.

Anglis expeditio Romam, inde Hierosolymam adornatur. Ultimum, ut hanc etiam suæ peregrinationem cruces comitarentur, in illo itinere patrem, in hoc oculos amittit. Recepit tamen hos ad urbem sanctam appulsus, viditque deinceps tam benè, ut excecatis tum à Gentilitia superstitione Germanis, Dux à Gregorio Pont. datus fuerit, quem quidem annis XXXVI, egregiè præstitit, & nobilem hodie Episcopatum Eystentensem condidit. Sed inter omnia ejus (quæ multa & immortalia) facinora, illud princeps est, parentem è regno secum ad DEUM abduxisse. Eant nunc deliri senes, querantur ultimo ætatis adminiculo orbari sese, ubi è mundo filius abit. Abeundo WILIBALDUS, an non parenti Scipio fuit? *Ex Philippo Eystet.*

M E D I T A T I O.

De triplici Regno Christi.

I. **S**. Willibaldus pro relicto terreno regno triplex adiit & possedit regnum Christi. Primo obtinuit *regnum animæ* per gratiam Christi. *Hoc regnum Dei intra nos est.* Nam verè sancti viri reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum refrenant, modo gloriam inclinant, modo suggestiones livoris obruunt, modo ignem furoris

B

extin-

extinguunt, reges ergo sunt, qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere; sed regendo præesse noverunt S. August. in ps. 118. *Sed regnum vim hoc patitur: occupare autem poteris per gratiam Iesu Christi.*

2. Alterum regnum quod obtigit S. Willibaldo est *regnum Ecclesie*. Stude subditus esse fidelis Ecclesie. *Non habent Petri hereditatem, qui Petri fidem non habent.* S. Ambr. Esto obediens. *Si enim Ecclesiam non audieris, eris sicut ethnicus & publicanus.* Tuere auctoritatem Ecclesie, & pro ratione officii tui dilata animarum conversione.

3. *Tertium est regnum gloria.* Regna hujus mundi non nisi scenica sunt. Regibus & Principibus æquè ac subditis finienda est actio, & depositis divitiis ac honoribus nudi efferimur. Si nescis inquit Willibaldus ad Patrem suum Richardum, peregrini hic etiam reges sumus: exi, ah exi regno, nisi exis efferere. Quare ergo neglectis curis pro regno cælesti plus sæculi regibus, quam regi sæculorum inservimus? *Multi ab oriente & occidente venient & recumbent in regno cælorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores* Matt. 8.

**SS. KILIANUS COLO
MANNVS ET TOTNANVS**

8. Julii.

Venit hora ut omnis qui interficit

vo

*vos arbitretur se obsequium præ-
stare Deo. Ioh 15.*

UTi Hiberniæ Italia Columbanum, Gal-
lum Suevia, ita Francia orientalis KI-
LIANUM debet. A Musis mansuetioribus ad
omnem humanitatem efformatus, Mona-
chum induit, & Sacerdotio initiatus cœ-
nobii præfecturam accepit. Sed ingenuus,
qui in pectore bulliebat, sanguis, mayo-
res ausus est honores sperare & generosâ mor-
te Martyrum nobilitatem velle mercari. Igi-
tur in Britanniam; mox inde in Galliam,
per hanc in Germaniam se penetravit &
Herbipolim Franciæ orientalis Metropolim
pervenit. Colomanno & Totnано viæ, pro-
positique pulchri comitibus. Vix crucis si-
gna explicata, cùm debellata superstitione, &
ipse Dux Francorum Gosbertus sub jugum
Christi est missus. Sed restabat cum mulie-
re bellum, semper viris etiam periculosum.
Geila hæc fuit, fratris olim Gosberti conjux,
tunc pellex hujus: & quia hanc consilio KI-
LIANI, Dux ædibus parabat ejicere, ipsa
prius KILIANUM sociosque (absente Duce)
vitâ ejecit, & corporibus Divorum stabu-
lum super ædificavit. Monitus KILIANUS ab

Angelo de morte, obviam hostibus processit, iisdemque verbis, quibus Christus Judam, salutavit. Martyrum porrò sanguinem linteo excepit Marrona Burgunda. Locum stabulantes equi nullis sordibus contaminârunt. Sicarii malè omnes perierunt, fuitque, qui sceleris sui furiis agitated clamaret, nunquam non sibi imminere gladium KILIANI sanguine calentem. Ipsa Geila pœnas datura, carnificem dæmonem habuit. *Ex Surio:*

MEDITATIO.

De Martyrio Spirituali.

1. **S** Kilianus cum videret Martyrii gloriam in Britannia sanguine suo venalem non esse. Peregrè Mercator quæsit, quis tuus patiendi pro Christo ardor est? an ad gentes barbaras occubiturus anhelas? sed disce priùs aculeos pungentis linguæ domi, quàm peregrini carnificis gladium, priùs verba, quàm verbera superare; ne dicas cum Petro paratus sum tecum ire in mortem & voce ancillæ terrearis. *Sine ferro & sanguine martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodimus.* Greg. Dial. lib. 4.

2. *Martyrum sanguine irrigata Ecclesia uberiores fructum protulit.* S. Cyprianus potuisset Deus ecclesiam suam propagare sine sanguine & cædibus Myriadum Martyrum. *Sed majus erat beneficium inquit Toletus fortes facere Martyres in obeundam mortem; quam imper-*

div

dire ne occiderentur: illud fecit beatos, non stud. Disce quam nobilis seminis fructus sis. Sanguis enim Martyrum semen est Christianorum. Gratum te præbe, eorum festa & reliquias, ac præsertim patriæ patronos venerare,

3. SS. Martyres Dei Lapidati sunt, scelli sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Heb. II, v. 37. ut Martyres aliquo modo imiteris, dictum illud divinæ veritatis adimple. Matt. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue & projice abs te: si dextera manus tua scandalizat te abscinde eam & projice abs te &c.* hoc faciens Martyr eris sine mutilatione, & sua quoque membris passis dabitur gloria in cælis.

S. ANATOLIA

Virg. & Mart.

9. Julii

Quis nos separabit à Charitate Christi. Rom. 8.

Rectè Liliū dixeris Virginitatem, sed spinas easque plurimas inter. Vel ANATOLIA palàm id facit, pulcherrimi candoris ipsa liliū, quod ubi capere procius impudens desperavit, ex amatore hostis factus, fidem apud Judicem accusavit, cujus castimoniam non potuit. Itaque ex veteri sed pessimo more in exilium virtus mittitur.

B 3

Sed

Sed fallor: patriam putâsses, ita in honore etiam ibi fuit. Etenim, cum Diodori Viri Consularis filius (Anianum dixerunt) à malo genio correptus sæpenumero discruciarî ab ANATOLIA se clamitâsses, quin ruptis subinde vinculis ad illius pedes abjectus missionem tandem accepisset, ilicet ea fama totum Piceni agrum pervasit, ut jam commune omnium Morbidorum asylon Virgo exul esset; jamque tam felix exilium invideret Decius, ideóque huic vincula, equuleos, & flammâs superadderet, quin etiam Audacem nobilem Magum evocaret, qui immanem in Virginem serpentem armaret. Sed pepercit hic Virginitati, non item Magistro suo Audaci, utpote in cujus collum ita invasit, ut nisi manum auxiliarem Virgo tulisset, pereundum illi ab hoc collari fuisset, quam tamen sic Audax cervicem serpenti, Christianus postea gladio non subduxit, quo ANATOLIA denique etiam trajecta, pudorem sanguine tinxit, hoc est: Liliis Rosâs miscuit. *Ex Surio.*

M E D I T A T I O.

De impuro & de divino amore.

Dvo amores, inquit S. Aug. in Psal. 64. duas faciunt civitates: *Jerusalem facit amor Dei, Babyloniam*

niam facit amor seculi & carnis. Interroga ex te, cujus sis civis? Amori impuro vel semel etiam obtemperasse pudet, & ex pudore dolor, ex dolore timor, ex timore angor & atrox ex angore horror. Quam turpe hoc jugum tyranni amoris? Ideo Seneca lib. 2. de Clement. *Etiamsi scirem, Deos mihi veniam duros, & homines non cognituros, tantum propter vilitatem carnis, peccata carnis fugerem.*

2. Jugum Divini amoris describit S. Bernardus: *O jugum sancti amoris, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum fecunditas, meritorum dignitas, pramiorum sublimitas.* Quis non sancto ambitu vellet esse concivis in Ierusalem, ubi divinus amor tam sanctè & delectabiliter animæ dominatur.

3. Plato triplicem statuit amorem: bellinum, qui coinquinat; Divinum, qui occurrente pulchro aspectu ad contemplationem animum extollit, & ab omni labe remotus est; & humanum qui inter utrumque medius, sensus quidem oblectat, sed vitium refugit. examina amorem tuum humanum, quem fortè dicis esse affectum humanitatis. *Credite, inquit S. Ambr: in ep. ad Nepot. manuscula, judariola, fasciolas, & vestes, ori applicatos, ac degustatos cibos, blandasq; ac dulces literas, [adde] otiosas visitationes, colloquia inutiliter protracta, sanctus amor non habet.*

S. FELICITAS Mart.

10. Julii.

Si

Si in hac vita tantum sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. 2. Cor. 15.

Felicitatem in manibus habes, Matronam, in qua unâ omnem Spartam Roma extinguit. Stat ecce! ad tribunal plena animis, & qui Matrem coronat, globum filiorum in tyrannum agit. Ne, ne oculos in tyrannum filij, aut quas hic minatur penas sed cœlum, sed qua cœlum promittit gaudia, desigite. Ite, ostendite etiam suos Romanis Machabæos esse. implete nominis mei orationem, ut sim, qua dicor, Felicitas. Septem estis, si pueri, certè numero tyranno superiores. Sed & mater adero, pugnabo, in singulis, in omnibus triumphabo, Votum pugna hoc est, ut nostrum ex acie vivus nemo discedat. Talia Mater filiis, at matri tyrannus colaphos ingerebat. Mox Januarius Virgis cæsus, ridet puerile tormentum. Negant Felix, & cum Philippo Silanus, sive à fratribus, sive à Christo avelli posse. Jam Alexander clientelam imperatoriam offerenti, Christi se Libertum respondet. Vitalis porò edicere Judicem jubet, dæmonine malo, an Deo Opt. serviendum? Denique rectissimè Martialis, cassis minis, serias Orci pœnas opponit. Has itaque inter pugnas plum-

bati

batis, fustuario, præcipitio, ferroque om-
nis fraterna acies cadit. Et potuit in septem
Germanis trecentos Fabios spectare Roma.
Felicitas certè spectavit, & oculis suis tot si-
bi oculos erui videre sustinuit, dum ultima
à ferro est mortua. Si tamen mori jam po-
tuit, septies mortua. *Ex surio.*

MEDITATIO.

De Felicitate hujus & alterius vitæ.

1. **I**N hac vita vera Felicitas esse non potest, ubi bo-
na nulla stabilia, & nulla pura. *Neq; enim est vera
Felicitas, de cujus aternitate dubitatur.* S. Aug. Et ideò
*Deo felicitatibus terrenis amaritudines miscet ut illa quæra-
tur Felicitas, cujus dulcedo non est fallax.* S. Aug. super
Matth. Serm. 29. Quare tam studiosè quæris, & in-
ventis tam caducis bonis toto affectu inhæres?

2. Humana Felicitas arbor est foliis pulchra, &
ramis, cujus radix est ipse, qui bona hujus vitæ pos-
sidet. Dan. 4. *Ecce arbor in medio terra, & altitudo
ejus nimia, & folia pulcherrima.* In piis prosperitas hu-
jus mundi fert fructus bonos, & bonos valdè hono-
rum operum, qui radix bona est. In malis fert malos
fructus, & malos valde, quia radix mala est. Ideo
in ipsa mundi hujus felicitate timendum est. *Sancti vi-
ri cum sibi prospera hujus mundi sapperere conspiciunt, pa-
vidâ suspitione turbantur; timent enim, ne hîc laborum
suorum fructus percipiant.* S. Greg.

3. Tripliciter Felices erimus in æterna beatitudine

B s

ex doctri-

ex doctiina S. Bern. *Videntes Deum in omnibus creatu-
ri, habentes eum in nobis ipsis, & quod ineffabiliter beati-
us est, ipsam quoque SS. Trinitatem cognoscentes. Lauda
Deum in creaturis, posside per gratiam, jungere illi
per charitatem. Quid hoc bono melius? quid hac felicitate
felicius? vivere Deo & vivere de Deo?* Ambr. de offic.

S. GOLINDUCHA Mart.

11. Julii.

*Usq; in hanc horam & esurimus, &
Sitimus, & nudi sumus, & Co-
laphis cadimur. I. Cor. 4.*

Parcius multi coenarent, si cum GOLIN-
DUCHA, nobili apud Persas Matrona. E-
pulo assidebat illa, cum ecce tibi! dum alij
gulam, ipsa Superis invitantibus oculos
suos pascit. Tollit hos Coelo, & quæ Cæli-
tes convivia actitent, spectat; poni Am-
brosiam, misceri nectar videt, invidetque.
Inde ad inferos demittit, & esurire micam,
sitire guttam epulones, interque hos, pro
dolor! etiam parentes suos advertit. Ipsa
scilicet ad Christum, Christi que fidem se
vertit. Succensuit conjux, sociamque thori
ad Saporem Regem fide minimè maritali
defert. Hic octo ipsos annos in carcerem,
tum

tum quatuor menses in antrum compingit à dracone infessum. Cùm hoc etiam monstrum virtus domuisset, in infamem cellam abducitur; sed hinc à Tutelari Angelo educitur. Inde ad supplicium rapitur, sed ab hoc iterum eripitur: quòd tamen nimium quantum sanguinem pro Christo gestiret fundere, vulnus in jugulo, sed ab hujus cruore medicinam omnis id loci æger accipit. Hoc porrò monili superba GOLINDUCHA, cùm locos à viris Sanctis nobilitatos permultos adijisset, cœlo tandem se intulit, & inde ad Salutares epulas suas, etiam oculos Marianorum invitat. *Ex Menais & Theophylacto.*

MEDITATIO.

De fame & siti Sanctorum & Impiorum.

I. **S** GOLINDUCHA visis semel inter inferni Epulones quoad vixi non esuruiit nisi Justitiam & pati pro Christo. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam quoniam ipsi saturabuntur: Mat. 5. justitiam, id est, Deo serviendi & placendi rationem. Sic esuriunt sancti, & nunquam non saturantur, quia semper inveniunt ut Deo serviant, & placeant. Sive manducant, sive bibant, sive aliud quid faciant: I. Cor. 10. Esuriit etiam & sitivit Christus, nimirum animas lucrandas. Alium habeo*

habeo cibum manducare, quem vos nescitis. Quomodo esuris & sitis iustitiam? animas? & pati cum Christo?

2. *Esuriunt etiam & sitiunt pauperes. O si scires quis esset qui dicit ad te da mihi bibere dares illi utiq³, dixit ad samaritanam sitiens Jesus. Iob. 4. Benignior esses in pauperes si crederes Christum in pauperibus elemosynam suã sitire & esurire. Venite benedicti Patris mei esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Quoties epularis? saltem ante fores tuas jacenti & famenti Lazaro da cadentes micas de superfluis.*

3. *Sitient etiam & esurient in Inferno damnati, nec dabitur illis nisi, Deut. 32. uva fellis & botri amarissimi, fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Sic torquebuntur fame impii, pro eo quod sitierunt Sanguinem, vindictam & cladem proximi; &c.*

S. JOAN. GUALBERTUS A B B A S.

12. Iulii.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum dimittet vobis pater vester cœlestis peccata vestra. Matt. cap. 6.

EN vatem, en pauperum Patrem, en Ascetarum Magistrum, miris multis, maximisque illustrem! Nosse vis unde illi artes

artes? semina audi melioris vitæ. Petit JO-
 ANNES, armigero stipatus, Florentiam Pa-
 triam Urbem, angusto in calle obviam ha-
 bet hostem à cognato sanguine calentem.
 Scilicet in iras animus, in gladium GUAL-
 BERTUS assurgere, & parricidium certè ho-
 micidio velle pensare. Quid ageret saxum
 inter, & aram hostis? Ecce bonum in are-
 na consilium? ad genua irati descendit, ut-
 que ignoscat per orantem, è Cruce pro ho-
 stibus suis Patronum Christum orat. Quid
 exspectas? vincit brevis, sed fortis eloquen-
 tia. Iris animum, ferro manum exarmat.
 Verbo amici discedunt. Sub hæc in ædera
 sacram JOANNES pergit, & ecce! icon suffi-
 xi in crucem Christi capite annuens, gratias
 habet ex suo nomine inimico veniam non ne-
 ganti. Quid ad ista, ô Pyrrhægenus? vos,
 inquam, quibus pectus immite plus, quàm
 æs triplex asperat, jurati hominum, & in
 homine Dei hostes, & quos hoc unum juvat,
 non solos perire. Iudice precante, reo non
 ignoscitis rei? Tantus è Cruce Orator, tot ora
 vibrans, quot vulnera, non persuadet? lignea
 movet se imago, vos duratis? Annuit Chri-
 stus, vos abnuitis? Ite Samsones egregii, &
 tumultum hosti? sed unâ vobis parate. *Ex SUR.*
 MED.

Parcendum Inimicis.

I. **C**Hristus sapissimè præcipit ut inimicis veniam
cedamus: oravit pro iis qui eum cruci affixe-
runt. Sancti imitati sunt: & Deus ipse toties homi-
num criminibus parcit, quoties ab eo venia petitur,
quoties confiteris eadem, & iterum remittit miseri-
cors Deus? an non hæc nobis persuadeant debitori-
bus dimittenda esse quæ in nos peccaverunt? *Amicos
diligere omnium est, inimicos autem tantum Christianorum.*
Tertull.

2. *Si autem non dimiseritis* (inquit Christus) *homi-
nibus, nec pater vester dimittet vobis;* quid dicis ad hæc
tu, qui toties dicis, *dimitte nobis debita nostra sicut &
nos dimittimus,* nec dimittis? Sed depositis in speciem
armis animum semper retines armatum? Si in speci-
em tantum pepercerit Deus quid te fiet? quot sunt,
& quidem de numero piorum, qui agrè admodum
patiuntur pungi se vel levissimè & qui acceptæ injuriæ
memoriam retinent sempiternam. Si tibi Deus scri-
beret in Silice peccata tua; uti tu proximo tuo?

3. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum dimittet
& vobis pater vester cœlestis delicta vestra.* Ita Deus pro-
mittit: nunquid ex verbis licet inferre, eum qui ut
Christianum decet injurias condonârit, beatum fore?
Mercedis dignitas, parcendi æquabit difficulta-
tem. *Oblivisci injuria culmen est bonitatis, pietatis festi-
gium & supremum divinæ Philosophiæ documentum.*
Chyfolog.

S. JUSTI

S. JUSTINA V. & M.

13. Julii.

*In omnibus tribulationem patimur
sed non angustiatur; aperiatur
sed non destituimur: persecutio-
nem patimur sed non delinquimur*

2. Cor. 4.

Gemina Dorotheæ JUSTINA est, consimi-
li ferè morte, & prodigio à morte con-
simili illustris. Parentibus orba cùm esset,
forma tot hostes illi conciliavit, quot procos.
At illa ut cui in amoribus solus JESUS erat,
suam etiam Christianis Penelopen ostendit, &
mortales procos facilè cæteros elusit? cum
Fabiano præside plusculum fuit lactandum.
Devorandæ enim alapæ, ferenda verbera, &
uberum carnificina. Atq; hæc inter supplicia
talem JUSTINA vultum præ se ferebat, ut inter
paradisi amœnitates, quas unas tunc loque-
batur, obambulare sit visa. Et oportebat al-
teri Dorotheæ alterum etiam Theophilum
esse. Zeno hic fuit è judicii subselliis primus.
Is, cum Virgo ad supplicii locum ridens con-
tenderet, rogavit, fructus peregrinos sibi è
Spon-

Sponsi hortis transmitteret. annuit capite truncanda IUSTINA. Mox latus Zenonis pulsio molliter pulsat, & donum à mortuâ Virgine strophium missum exhibet. Tunc quoque risit, cum strophium acciperet, qui hortimunera sperabat. Sed nesciebat ille, sub strophio fructus latere. Hoc enim dum frontem ridens tergit, ecce! omnem animo suspitionem abstergit, Christum & se Christianum tam diu clamat, dum lingua è faucibus exsecaretur. Caput demum pro Christo ponit, & quod alii tam grave putant, cœlum ridendo meretur. *Ex Ferray.*

MEDITATIO

*De fortitudine Christianorum
in adversis.*

S. Iustina inter uberum carnificinam vultum præ se ferebat hilarem & ridentem ut si esset inter floridas paradisi amœnitates: non facile colligit rosas qui metuit spinas. Animo opus est ut virtutem obtineas. Sen. 4. de virtut. *Magnanimus eris, si pericula non appetas ut temerarius: nec formides ut timidus: mensura magnanimitatis est, nec timidum esse nec audacem.* Sine magnanimitate omnes virtutum conatus irriti sunt, quomodo difficilia aggredieris? an temere? an timidè?

2. S. Iustina inter tormenta loquitur de floribus, si tu pateris an rosas an spinas reddis? an benedictiones

an maledictum? sunt quidam mites, sed quamdiu nihil dicitur, vel agitur, nisi pro eorum arbitrio tange autem montes & fumigabunt. Perfacile est vestem contemptam habere, ac inclinato capite incedere, velum super capillos dimittere, sed humilem patientia ostendit injuria. S. Aug. de Servo Centurionis.

3. Justina Zenoni rofas è cœlo submisit, quibus illum in Martyrii & Coronæ societatem pertraxit. Coronemus nos Rosis antequam marcescant loquuntur filii hujus sæculi. Coronemus nos Spinis ut post hyemem passionis appareant rosæ, ita loquuntur sancti & fortes Christiani. Pio & forti omnia adversa vertuntur in rosas.

S. BONAVENTURA CARDINALIS.

14. Julii.

*Non enim judicavi me aliquid scire
inter vos nisi Jesum Christum &
hunc Crucifixum. 1. Cor. 2.*

CONTRÀ quàm hodie fieri amat, BONAVENTURAM mater ultrò DEO & D. Francisco devovit. Apud hunc pietatem doctrina ita juvit, ut dubiam altera alteri palmam faceret, magnum testimonium Alexandri de Ales est, non peccâsse Adamum in BONAVENTURA. Ipse D. Thomas miratus raram in vi-

C

10

ro doctrinam, Bibliothecam suam, ut monstraret, rogavit: ille digitum in Crucifixum intendit. Tantus ad purpuram, tamen plus ipsâ purpurâ erubuit. Quid quod aliquoties indignum se putavit, quid sacro Epulo accumberet? Sed dignum esse Angeli monstrârunt, cùm felicem sportulam ad os BONAVENTURÆ ultrò portârunt. Moriturus, cùm vomitu laboraret, lateri Cibum Divinum jussit admoveri, & ecce! inde ad ipsum Cor se EUCHARISTIA penetravit. Quid jam miramur hoc (uti & caput) multis annis à morte integrum ab omni tabe repertum esse? Porrò dum vixit, Virgini unicè studiosus fuit. Itaque auctorem eum Sodalitatum inter Laicos, quos vocant, faciunt. Certè in D. Lucam ideò libentiùs lucubrationes scripsit, quòd is de Virgine plura suggereret. Pulsum quoq; æris campani, quo exciti sub noctem venerabundi ter MARIAM salutamus, BONAVENTURA instituit, rectè, cum humanas linguas laudibus Virginis succumbere videret, in auxilium vocans ferrea ora, & ferreas linguas. *Ex Vita & Tho. Bezio.*

MEDITATIO.

S. Bonaventura Discipulus

Crucifixi.

Hic

1. **H**ic Seraphicus Doctor ex vulneribus Crucifixi mirabilem prorsus hausit scientiam, ex iis cognovit quantum Iesus esset amandus, qui tantum nos amavit, tanto amore flagrabat in Christum vel pendentem de cruce, vel delitescentem in Eucharistia, ut ejus liberi etiam nunc Christi amorem inspicerent. Quantum amas Iesum? quid facis pro Iesu? qui tanta pro te fecit? Viri docti! *Scientia sine dilectione vanitas est, quid faceret absq̄ dilectione eruditio? instaret; quid absq̄ eruditione dilectio? erraret.* S. Bernard.

2. Iesus cruci affixus docuit Bonaventuram humilitatem, amorem abjectionis, & dignitatum contemptum, hic dignitatum contemptus, potissimum eluxit, cum Cardinales ipsi optionem dedere, quem voluisset, Pontificem eligendi; poterat quidem ille se ipsum eligere, non elegit tamen. Quid egisses hac in occasione tu? qui nunquam non studes tuæ gloriæ.

3. Denique docuit eum Christus quâ ratione labores ferret, amaret, & alacriter quæreret. A deo non Christi & s. Bonaventuræ exemplo labores quæris, ut eos quos obedientia & Christus jubet, quantum potes declines. Proba te deinceps discipulum crucifixi. *Per omne quod agimus Crucifixi nos preceptoris discipulos demonstramus.* Petrus Damianus.

S. HENRICUS IMPE- RATOR.

15. Iulii.

C 2

Qui

*Qui vicerit dabo illi sedere mecum in
throno meo, sicut & ego vici, &
sedi cum patre meo in throno eius.*

Apoc. 3. v. 21.

GEMMAM Romanæ Coronæ unicam hic
exhibeo HENRICUM. Genuère Bojo-
rum Duces, D. Wolffgangus educavit.
Quidni ab his bonum Imperatorem speres?
Certè imperium à se ipso auspicatus Virgo,
idemque conjux in triumphum Cupidinem
duxit. Hoc subacto, facile alios imperii hostes
omnes fudit, tum præsertim, cum Æther illi
militavit, & aciem, cui votum ante pugnam
fecerat, D. Laurentius, & cuius gladio accin-
ctus erat, Adrianus, tum Georgius Angelus
que præiverunt; Sed ò lepidam fortunæ fa-
ciem! tantus belli Imperator ecce à pueris vin-
citur. Obsidebat Trojam Apuliæ urbem, ju-
ratus nec imbelli ætati parcere. Cives sive
armati, sive supplices in urbem repulsi. Ad-
trarios nemperes rediit. Erumpit ergo aper-
tâ portâ puerile totius urbis agmen, signum
Crux præit? barritus unus omnium, idem
Kyrieleyson auditur. Quid multis? primis
pugnâ HENRICUS capitur & Urbs libertate po-
titur: Adhuc gravior ille conflictus fuit
quen

quem mortuus cum acie inferna habuisse, Dæmonis, qui rem in suis oculis gestam narravit, fide creditur. Is enim viro Religioso exposuit, nutasse illic cum lance HENRICI causam, donec iterum suppetias ferens Laurentius. Calicem sibi donatum pro clypeo obijciens rem restituit. Id nisi more suo Dæmon confinxit, præfidentem esse oportet, cui cor non palpitat. *Ex DD. Bamberg. Jac. Gretseri.*

MEDITATIO.

De victorijs S. Henrici.

1. **S** Henricus ut cæteros hostes facilius superaret, prius in servitutem redegit hostem domesticum, duxitque carnis cupidinem in triumphum conjugatæ virginitatis. Ut victor evadas vitiorum tuorum illud præ omnibus aggredere quod tibi familiarius est, & ideò periculosius insidiatur. Examina quod ex vitiis tibi prædominetur, quibus mediis oppugnes? inter omnia videtur caro esse Goliath insolentior, hoc jugulato superabuntur Philistæi omnes, & facilem reportabis victoriam ab integro exercitu vitiorum. *Ego castigo corpus meum & in servitutem redigo. Epist. 1. Cor. 9. Cap.*

2. Henricus fortissimus triumphator extitit quando victus est ab imbellibus pueris Apuleiæ urbis veniam deprecantibus ab offenso Imperatore. Ulciscendi nocendi que cupido magnos inhumanis pectoribus fluctus excitat: nunquam non sine tormento

sui violentus iste affectus est. Sen. l. 2. de ira, non in beneficijs honestum est merita meritis repensare, ita injurias injurijs illic vinci turpe est: hic vincere inhumanum est. & lib. 3. de ira. Ultio doloris Confessio est. non est magnus animus quem incurvat injuria.

3. S. Laurentius pro Henrico clypeum interposuit, adversus dæmonem, quis in ultimo agone tuo cum dæmone, quis Sanctorum ita abs te colitur in vita, ut defendi ab illo in morte merearis?

S. VITALIANUS EPISCOPVS.

16 Julii.

Spectaculum facti sumus huic mundo, Angelis, Deo, & hominibus. nos stulti propter Christum.
Ep. 1. Cor. cap. 4.

CAPUÆ natus VITALIANUS virtutis præmium à patria infulam tulit. Fuerunt tamen qui decus hoc inviderunt alieno capiti, suo quærerent. Et placuit insuper, cum vel maximè seriò rem agerent, fabulam tamen dare. Dormienti vestes suas auferunt & in locum muliebres reponunt. Has, ad preces matutinas vocatus, imprudens induit & templum petit VITALIANUS. Enimverò ridendibus

dentibus aliis non riserunt scelerum factores. Meretricio habitu contemeratam Infulæ majestatem clamant. Proditam tandem histrionicam vel ab ipsa nocte sanctitatem. Parum fuisse cum mulieribus noctes, dies agere, nisi totus denique in mulierem abiret. Viderent nunc Cives, nisi totus denique in mulierem abiret. Viderent nunc Cives, an non rectius colum, quàm pedum mulieri committerent. Si viri essent non laturos sic stolatum Episcopum. Si expiare urbem vellent, monstrum (Episcopum foeminam) aquis sepulturos. Quid multis? dum patrona caret innocentia, in mare abjicitur, non jam eluente, sed faciente parricidium culeo. Sed quis innocentiam mergeret? Emersit more suo: & coelum ingratis civibus aquas & cum his segetem negavit, dum VITALIANUM revocarent. Una igitur VITALIANUS & imber è coelo missi exceptique. Sed ille non fidens honoribus, Deiparæ templum struxit, vivensque in hoc privatus, Invidiam sub virginis pallio impunè jam risit. *Ex Ferrario.*

MEDITATIO.

De innocentia & simplicitate.

I. **F**requens est lusus impiorum cum piorum innocentia & simplicitate. *Circumveniamus justum*

C. 4

Sap. I.

Sap. 2. (Obſerva cauſas) quoniam inutilis eſt nobis & contrarius, eſt operibus noſtris, improperat nobis peccata noſtra, & c. & gravis eſt etiam nobis ad videndum. Advertit Hilarius quod impiis aſpectus piorum ſit veluti onus malæ conſcientiæ illorum. Ideo & Chriſto oculos velârunt Judæi, ut audaciùs percuterent. è quorum numero es? an propter juſtitiam pateris? an juſti patiuntur à te?

2. Veſte muliebri, quam inimici ſubſtituerunt, non tam Vitaliani illuſa fuit innocentia, quam teſta impiorum nequitia. *Omniſ qui malè agit odit lucem.* Et pleraque vitia in hoc mundo palliantur ex eo tempore, quo Adam peccavit, ſuam nuditatem, foliis operiens. Quibus tu prætextibus coloratis malefacta tua involviſ? quàm candidè agiſ in confeſſionali? Chryſ. *Quid tunc fiet miſeris cum omnia aperta erunt? Latere erit impoſſibile, appaere intolerabile.*

3. Rectè Iob vir ſimplex & rectus ait: *Deridetur juſti ſimplicitas,* Iob. 12. in hoc mundo. *Sed Deus non proieciſt ſimplicem.* Iob. 8. *Væ autem viriſ duplici corde, & labiſ ſceleſtiſ!* Eccl. c. 2. *Erit tempus, cùm vulpes orcinaſ vulpinabuntur, & tradentur in manuſ gladij.* pl. 62. *in poteſtatem tormentorum infernalium, & parteſ vulpium erunt* eſto ſimplex & rectus.

S. ALEXIUS Confefſor.

17. Julii.

Omniſ qui reliquerit Domum vel fratres, aut ſororeſ, aut patrem,

aut

aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet & vitam eternam possidebit. Mat. cap. 19.

Theatrum est orbis, in quo sæpius malè multi divitem, sed benè pauperem egit ALEXIUS. Patrem Romæ habuit Ephemianum senatorii Ordinis, Sponsam regii sanguinis. Sed qua nocte Hymenæus pedem thalamo inferebat, sponsum non reperit. Nempe noctis beneficio elapsus Edessam aufugit, ibique inter mendicabula tam diu latuit, dum ab effigie Deiparæ, ad cujus templum assiduus excubabat, est proditus. Tunc Romam rediit, & (quis credat?) in patria domo felicitis personam dissimulavit. Hic, cùm è tanta hæreditate vix ultimum angulum ædium impetrâisset, risit scilicet, cùm domi se agentem quæri in alieno orbe videret, cùm parentes se orbos, sponsa viduam se lamentarentur, cùm utrique præsentem inclamarent, vivum lugerent. Spectabat interim siccus suorum lacrymas, vivus suas exequias; appellabat patrem matrémque, nec filius audiebat; basiabat servorum suorum manus & ab his

fervilia multa patiebatur, jam pugnis cōtusus, jam sordibus perfusus. Sed demū Mors sipariū reduxit. Vox etenim humanā major Romanū & Pont. & Imp. ad demortuum excivit, Ibi ALEXIUM prodiderunt vultus astro similis & literæ in manibus repertæ, quibus ipse fabulæ totius Argumentum descriperat. Et placuisse fabulam cœlum ostendit, cū miraculis applausit, toties plausus repetiturum, quoties fabulam juventus. *Ex Metaphr.*

MEDITATIO.

De vita Sancti Alexii.

1. **S** Alexius conjugē, deliciis & amplioris fortunæ bonis abstinuit ut Castitati & paupertati totum consecraret. non is es qui tot divitias, tot voluptates sperare possis, unde ergo non amplecteris geminam hanc virtutē? ac parum sollicitus de paradiso, & de inferno, totus es in terrenis! si dolores inferni & cœli gaudia considerares terrena despiceres. *Consideremus latiora & non desiderabimus viliora.* Tertull.

2. Alexius redit in domum paternam, ut impetu facto, non fugâ voluptatum & divitiarum libidinem in propriis castris profligaret: O difficillimum certamen! nunquam triumphasset Alexius nisi Deus cujus instinctu tantum certamen iniverat ad victoriam vires suppedi-

supeditasset. Tu qui versaris in mundo, si pecces, si minus virtuti vaces noli causari tentationes, aut occasiones; quid enim tentationes tuæ ad tentationes Alexii? pudeat te ignavia.

3. Quam hilaris erat Alexius in mente, quod mundi, carnē & dæmonē vicisset; enim verò magis gaudebat, quod pauper, castus & inglorius vixisset, quam si potitus fuisset amplissimis bonis. Cupis ita mori? implora auxilium hujus Sancti: mortē felicem impetrat invocantibus se: eum imitare: pium habe vivendi modum: pia vita, piā morte clauditur. *Mala mors putanda non est, quam bonā vitā præcesserit.* August.

S. FRIDERICUS EPISC. MART.

18. Julii

Noli timere, sed loquere, & ne taceas. propter quod ego sum tecum.

Act. 18. cap. v. 10.

Si vis ad vivum depictam Joannis Baptistæ imaginem, Eclypon in FRIDERICO habes: qui in Ludovico Rege Herodem, in Juditha Herodiadem est expertus, explico tragicam scenam: Erat S. FRIDERICUS illustri prosapia in Frisia natus, à primis annis solitudinis, ut alter Joannes, amans, non nisi in sacris adolevit: jam tum Ludovico, Caroli magni filio

lio, Regio ob virtutem generisq̄ue splendo-
rem, percharus, à quo etiam ad trajectensem
insulam est euectus. Ea in dignitate FRIDERI-
cus, officii sui memor, ut verum se amicum
probaret; quod aliorum ausus est nemo, ani-
mosè Regi, ob incestas cum Iuditha nuptias
se opposuit, Ioannis illud. Non Licet, liberè
contrà ingerens, Anathematis insuper mina-
tus fulmen ni malè nuptam repudiaret. Id
FRIDERICO fatale fuit; siquidem efferati inde
Regis iussu, emptis ab Herodiade altera, Iu-
ditha Regina sicariis ipso in templo, post
peractum antè sacrum, pugionibus confossus
est. At Martyr, vulnus, dum latrones moni-
ti effugissent, cohibens, populo vale extre-
mum dixit, Traiectique excidium vaticina-
tus, vivus sepulchrum suum subiit, & gene-
roso viam permittens sanguini, defunctus est;
qui tamen vel ex tumultu clamavit, donec in-
cestorum regno per Daniæ Regem vastato, &
sicariis repentina morte sublatis, coelum au-
diens innocentiam Sancti vindicavit. *Ex Suario.*

MEDITATIO.

De correctione proximi.

I. **S** Fridericus ut verum amicum Regi se proba-
ret, liberè corripuit eum, vox Caini est: *sum-
ne ego custos fratris mei?* Vox Apostolicæ charitatis est:

Corripien-

Corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem. Cor. 1. v. 27. S. Aug. l. 1. de civit. cap. 9. Si neglexeris corripere peior factus es eo, qui peccavit.

2. Primas partes in corripiendo obtineat lenitas: Spiritus Evangelicus non est vindictæ aut iracundiæ, sed patientiæ & mansuetudinis. Ideo 3. Reg. 19. ad E-liam, non venit Dominus *in spiritu grandi & forti*, hoc est, superbo: *non in commotione*, hoc est, animi perturbatione: *non in igne*, in furore accenso: *sed in subtilo aura tenuis*, id est, humili & mansueto. Cujus Spiritus est in corripiendo proximo tuo?

Si ex officio obligaris, monendi sunt potestatem habentes modestè & reverenter, exemplo Nathani inductâ parabolâ de ove, arguentis Davidem forti sed modestâ libertate dicendi. Magnatibus expedit, ut adeant frequenter curias mortuorum, id est, libros consulturi de agendis vel omittendis, hi enim loquuntur sine formidine, nec adulantur ne excidant gratiâ.

S. ARSENIUS Abbas.

19. Julii.

Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei. Luc. c. 9.

ARSENIUS bonis artibus & virtutibus
 iuxta clarus, Arcadium & Honorium
 Theo-

Theodosii August. filios litteris imbuendos & pietate, accepit: quod muneris tanti pius Imper. fecit, ut cum non filiorum modo, sed suum etiam parentem dici voluerit. Quidē quòd ubi sedentes pro dignitate stans docuit, interveniens Theodosius stare imposterum filios & audire sedentem iussit, timendas imperii secures literatis scholæ fascibus submit- tens, quos cum in gravius delinquentem Arcadium strinxisset ARSENIUS, necem ille Doctori inferre molitus est, penè Nero ex Arcadio factus. Adeò non jam primùm bonorum magistrorum didactron odia & insidia sunt discipulorum. ARSENIO interim vox cœlo hæc accidit *fuge, tace, quiesce*, Fugit itaq; sed aulæ servitutum: tacuit Eremitæ discipulus, sed Doctorem Angelum habuit. Hic vana hominum studia illi depinxit primò in Æthiope, qui levando, cui impar erat, oneri, alia atque alia identidem ligna adjiciebat: Tum in homine, qui aquas ridiculè cribro hauriebat: demum in duobus, qui cum ligno transverso angustam subire portam contendebant, è quibus primus peccantium, alter ambitiosorum, duo alii invidiorum erant typus. Denique beatâ morte ARSENIUS quievit annos natus CXXI. & tunc etiam talisque mortem horruit.

horruit. Certè vivus semper cum strophio
visus est, quod lacrymas biberet, quas mors
exprimebat, expressura etiam nobis, si cum
ARSENIO memoriæ impressam altiùs gestare-
mus, *Ex Metaphr:*

MEDITATIO.

De integro servitio Dei.

1. **A** Baulà ad solitudinem avolat Arsenius: inter-
rogatus unde tantùm amaret solitudinem?
non possum inquit amorem meum dividere. oportet
ut neglecto mundo, Deo me penitus tradam. Velles
tu quidem Dei & mundi esse, sed hoc fieri nequit:
eum elige qui te pluribus cumulet bonis, quid dubi-
tes? *Nemo potest in una & eadem re omnipotenti Deo ser-
vire, atq; ejus hostibus gratus existere, nam Deo amicum se
pernegat, qui ejus placet inimico.* Gregor, in hom. super
Ezechiel.

2. Veniant tibi in mentem stipendia quæ mundo
militans meruisti. Salomon qui terrenis in bonis
votorum summam adeptus erat, profitetur omnia
vanitatem esse. Inquire in te ipsum, vide an non ve-
rum sit tibi bona omnia fastidio fuisse, cum iis potitus
es, nec unquam habuisse te plenum gaudium. *O se-
culum vanum! quid tanta promittis cum decipis?* Aug.

3. Si autem fateri velis quod res est, dices te nun-
quam latiore fuisse quàm post expletum pium ali-
quod opus. Jam verò si Christus vel in hoc mundo
tam liberalis sit, quid daturus est in altero? si quas dæ-
mon offert voluptates plurimo felle temperantur,
quanta

quanta erunt quæ parant tormenta? Deo te totum
devove, dicelque cum Tertulliano. *Quæ major volu-
ptas quam fastidium voluptatis*

S. MARGARETHA V. & M.

20. Julii.

*Sobrii estote & vigilate, quia ad-
versarius vester Diabolus tan-
quam Leo rugiens circuit qua-
rens, quem devoret, cui resistite
fortes in fide. 1. S. Petri cap. 5.*

MMARGARITAM in manus damus,
vel cœlo iudice pretiosam. Adolescen-
tula clam parentibus Sacra nostra edocta est.
eam ob causam ad Olybrium Præsidem rapta
fuit, ipso (nefas!) parente filiam accusan-
te. Gravius etiam periculum cudebatur,
quando iudex à forma MARGARITÆ captus,
amatorem induit, & mollibus armis, blandi-
tiis pugnam movit. Elusit tamen insidias
Virgo prudens & Præsides larva amoris posita
tyrannum prodidit. Virgis initio cæsa, tum
uncis lacerata & in carcerem data. Ibi quoq;
fatigatam recens hostis Orcus excepit, Dra-
conis exuviis horrendus. Sed hunc objecto
scuto

scuto Crucis repulit, præcùmque jaculis con-
fixit. Victrici superi trophæum posuerunt
crucem mirè splendentem, & è cuius apice
columba solatia dedit, & omnibus vulneri-
bus Medicinam. Triumphum hunc primum
ornârunt XV. millia hominum in libertatem
Christianam à Deorùm servitute asserta. Non
multò post iterum pugnatum, & in trium-
phum ducti ignis & aqua. Nam & faces arden-
tes pectori admotas in sancti Amoris flam-
mas, & aquas, in quas abjecta erat, in baptis-
mum vertit Deus. Iterum ergo triumphanti
columba illa divina palam coronam impo-
suit. Invidit Olybrius, & caput laureatum
gladio abstulit, Sed imprudens alteram coro-
nam adjecit. *Ex Sur. & Lipp.*

MEDITATIO.

*De tentationibus & ratione eas
vincendi.*

1. **D**eus patitur nos à dæmone tentari, tum ut no-
stram probet firmetque virtutem: tum ut co-
piosius nos remuneretur: non permittit tamen ut
tentatio sit supra vires: diabolus pellicit, non cogit
ad malum. Libertatis & gratiæ beneficio semper vin-
cere possumus, *nam dæmon latrare potest, mordere non
potest: non enim cogendo, sed suadendo movet, nec extorquet
consensum, sed perit.* August.

D

2, Ipsi

2. Ipsi nosmetipsos tentamus nil non concedentes sensibus nostris, & corpus otio ac delitiis circumfluens delicatius tractantes. Alios item ad peccatum sollicitamus tum verbis, tum exemplis. Ipsi dæmonitentionum occasiones suppeditamus, pravis rebus legendis, audiendis. *Cur liceat audire quæ facere flagitium est?* Tertull.

3. S. Petrus triplicem nobis suggerit vincendarum tentationum rationem, nimirum ut sobrii, vigilantes & fideles simus. Sobrietate omnis ferè libido restringitur, Vigilantiâ & diligenti examine actionum eluduntur dæmonis insidiæ, fide demum omnes inimici profligantur. Non enim vinci potest qui sperat paradysum, & qui timet infernum.

S. DANIEL ABBAS.

21. Julii.

Habentes alimenta quibus tegamur his contenti simus, nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli. 1. Tim.

cap. 6. v. 9.

Impetraverat à Deo DANIEL hæredem viro, quocum illi hospitii familiaritas intercesserat. Itaque hic, eum patronum, at malevoli patrem etiam pueri vocabant. Sed pro innocentia pronuntiavit innocentia altera. In-

fans

fans nuper natus, qui iussus à DANIELE patrem palam edicere, digito in verum parentem coniecto, hic, agebat pater meus est, atque ita simul patronum suum absolvit, simul calumniatores improbos damnavit. Sub hæc, cum DANIEL Eulogium latomum cerneret, in egentes præ aliis piùm, precari apud Deum institit, plures opes submitteret tam benè prodigo. Et annuere Deus est vitus, si pro Eulogio sponderet, divitias fraudi morum integritati non futuras. Convenit, spondit Daniel. Igitur Eulogius cum saxi thesaurum eruit, ad aulam abit, honores mercatur, struit palatia emit mancipia, splendidè ac lautè victitat. Adest DANIEL officii sui amicum commonefacturus, sed surdam, ad pauperis vocem, januam reperit, verberibus pro stipe oneratus. Anxius proinde, cum à Christo crucifixo exsolvi vadimonio postularet, annuit Filii nomine Mater Magna, mox etiam ipse Filius eâ lege, ne simile posthac vadimonium faceret imprudens. Interea Eulogius mortuo imperatore, honorum fastigio opibusque omnibus excidens, in latomias suas postliminio devolvitur, mox cum paupertate pauperum amor, & unâ virtutes omnes ab exilio revocantur.

Tam malè, ò Divites, vitæ sanctitati cum divitiis, tam benè cum paupertate convenit
Ex Petr. de Nat.

MEDITATIO.

De Copia & innopia.

1. **E**Xpertus est Daniel in Eulogio suo quam periculofum fit in via salutis abundare. Divitiæ affluant non appone cor, *quid ponimus cor in terra, cum videamus quia evertitur terra* S. August. Serm. 29. de verb. dom. Et sinus Domini divitiarum. Neque divitiæ dominantur nobis, impediens nobis liberum earum usum. Non inhereamus. S. Wigo tranquil. animi cap. 9. *Scarabeus cuncta intuens pulchrum eligit, sed sic ubi jacent stercora eis insidet, sic nimis divitis negligit celum & æterna & terrenis inhaerens, qua Paulus arbitratur ut stercora.*

2. Abundantia inducit oblivionem Dei, & expellit timorem; Id expertus est Daniel in Eulogio. *Incrassatus est dilectus & recalcitravit. Incrassatus impinguitus dilatatus dereliquit Deum factorem suum.* Deut. 32. cap. v. 15. Res angusta conservat timorem Dei, gratitudinem pro pane quotidiano, avertit otium & luxuriam vitia, *quia labores manuum tuarum manducabis, beatus, es, & bene tibi erit.* Ps. 127. quomodo te geris vel in copiâ vel in tenuitate tuâ?

3. Disce ex Boëtio Phil. lib. 2. profa 4, sorte tuâ Deo data contentus vivere. *Quisque cum fortuna sua conditione concordet: inest enim singulis quod inexpertus ignorat, & expertus exhorreat.*

S. MA

S. MAR. MAGDALENA.

22. Julii.

Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum. Luc. cap. 7.

MAGDALENA, quæ omnium in spem peccantium animos erigit, utinam etiam in pœnitentiam erigeret. Tantum lacrymarum potuit lavacrum, cùm aquas amor oculis deplueret à flammis suis calentes, cùm ingeniosus è capillis lintea texeret. Ergo tot dæmonum malorum nuper hospitium, Christi fit hospita, hujus sermonibus frui, & amoribus digna est; ab hoc apud Simonem de audacia, apud sororem de otio, apud Judam de prodigalitate accusata, defendi semper meretur; apud hunc Fratri defuncto vitam exorat hunc nardi odoribus recreat, ministra per Judæam sequitur, & in crucem sequitur, hic pedes lacrymis iterum lotos, iterum oculis siccatos tumulto condit dolore plena, mox redivivos ambit gaudiis ebria, & latissimi nuntii ad Apostolos nuntia. Quid? quod hunc etiam ipsa Apostoli vices functa, in ipsas usque Gallias Massiliam portavit, & populos nova amoris magistra amare Crucifixum docuit.

D 3

cuit.

cuit. Hunc illa inter sylvas maximè, & loca
 sola venabatur, & in nudo lectulo crucis,
 quam illic loci Angeli defixerant, indagabat.
 Audires jam saxa edocta & littora barbara JE-
 SVM suspirare, JESVM ingeminare, cum
 interim sapiculè hic ad dilectam è cœlo invi-
 seret, illa sapè sapius ad dilectum ab Angelis
 in Aëra, tandem in cœlos etiam raperetur.
Ex Evang & Silv. Pterate.

MEDITATIO.

De Lacrymis S. Mar. Magdalena.

1. **P**rimus Magdalena lacrymas elicit dolor pecca-
 torum, quo perculsa Jesum quærit, invenit in
 domo publicani, peccata palam confitetur, volupta-
 tes valere jubet, & integram facit vitæ mutationem.
 Felices lacrymæ, quæ Magdalena omnia delevit
 crimina! an ergo nunquam oculi mei delicta juven-
 tutis meæ lacrymis eluctis? quid differo meam con-
 versionem? voluptates, honores, ultimum vale vo-
 bis dico jam tempus est, commissa deffendi peccata;
dimitte me paululum ut plangam. Job.

2. Commiserationis ergo lacrymas tenere non po-
 tuit Magdalena, cum vidit Jesum à carnificibus acci-
 pi tam malè ad usq; calvarium eum secuta; sub cruce
 lacrymas suas cum pretioso sanguine confudit; meum
 Cor! quotidie Jesum in Cruce pendentem videmus,
 quotidie meditatur ejus passionem, unde ergo ne la-
 crymam quidem damus? ah! non tantâ pietate Jesum
 complectimur, quantâ Magdalena: 3. Pra

3. Præ desiderio quo Magdalena flagrabat Iesu vi-
dendi, à mortuis suscitati sepulchrum ejus lacrymis
rigavit. Affiduis suspiriis & gemitibus antrum ejus
resonabat, quòd prolongatus esset incolatus ejus,
nec ipsi daretur dilecto suo jungi. Iacturæ vel levissi-
mæ illacrymamur, at quotus quisque est qui amisso
Iesu lacrymetur?

S. APOLLINARIS Episc.

23. Julii.

*Rogamus autem, corripite infirmos,
consolamini pusillanimes, suscipite
infirmos, patientes estote ad omnes.*

ad Thess. 5.

SI Scipio à devicta Africa Africani enco-
smium meruit, & alter à subacta Numantia
Numantius vocatur, Sanctus noster ab Apol-
linis everto, per preces suas, fano, non im-
meritò APOLLINARIS nomen habet. Fuit hic
præsul, Sanctus Petri ProtoApostoli discipu-
lus, clarum exemplum ingrati mundi, qui
beneficia tanti viri non nisi cruciatibus repen-
dit. Ravennæ salutis viam docentem popœ
pro minervali diris affecere verberibus. Boni-
facio, muto Nobili servatoris nostri prolato
nomine linguam solvit, filiamque ejus à tar-

D 4

tareo

tareo liberavit inquilino: ob hæc virgis lace-
 ratus, adustus, urbe ejectus in exilium fuit.
 In Æmilia Ruffini demortuam prolem vitæ
 reddidit ejusque familiam baptismatis sacro
 flumine regeneravit: & solito à malis salario
 suspensus equuleo, laniatum corpus, contu-
 si dentes & in mare expulsus, ex quo naufrā-
 gus cūm in Mysiam, Thraciam, & inde in
 Italiam revenisset, fanum ingressus, præsen-
 tia sua ita infregit vires dæmonis, ut obmu-
 tescens præstigiis dementare ex idolo pro mo-
 re idololatrias non valeret. Detectus ergo,
 prodente orco, APOLLINARIS, ab irritato po-
 pulo templo & urbe expulsus, atque à perse-
 quentibus ad eò lethalibus plagis confectus
 est, ut septimo exinde die, quantumvis à fi-
 delibus interim sustentatus, Martyr obierit:
 atque ita extrema, quæ moriens elocutus est
 verba, *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit,*
 implevit & gloriosa morte obsignavit. *Ex Lippel.*

M E D I T A T I O.

*De triplici affectu Charitatis
 in proximum.*

1. **C**orripite inquietos quorum nimirum mores vel
 sermones insolentiores sunt hos sane oportet
 ex officio arguere, si tibi sint subditi, sin æquales ex
 charitate illos dehortare, dummodo id prudenter præ-
 stare

stare possis. Ubi proximum tuum monueris, cætera Deo committe: ora Deum pro eo, & quidquid accidit noli contristari.

2. *Consolamini pusillanimes*, Christianam ipsis demonstra misericordiam consilio, gratia studio, quoquo demum modo potens es ipsis opitulare. Aderunt tibi quotidie occasiones miseris benignè faciendi in carceribus, in xenodochiis, in vicinis & in propriis ædibus. Caritas in miseros fortunas non immittit: præmium auget. Esto consolator omnium, qui ad te suis in afflictionibus confugient. Amicitia est amicos, charitatis verò omnes consolari.

3. *Patientes estote ad omnes*: fer patienter mores & naturam omnium. Ut quis amicè & Christianè cum omnibus vivat, multa ipsi requiritur patientia; alii quippe malo, alii pio animo exercebunt ejus patientiam. Arripe occasiones ejusmodi, nam salutem tuam plurimum conducunt; avarus non curat ex qua fodina datum sibi aurum eruitur: tu quoque ne quæras quis hanc merendi occasionem tibi dederit, eam duntaxat utere, & certo scias, patientiam malorum omnium esse Medicinam.

CHRISTINA Virg. & Mart.

24. Julii.

*Omnes enim quæ sua sunt querunt,
non quæ sunt JESU CHRISTI.*
S. Paul. ad Phil. 2.

D 5

Dicite

Dicite, quotquot Musas colitis, quid virgine felicius; si doctorem habere Angelū meretur? Certè Virgo CHRISTINA habuit, & Christianæ doctrinæ rudimenta cūm ediceret ab ore Angeli pependit. Nempe sic ipsis diis quoq; (quos argenteos aureosque parens habebat) rectè uti didicit, quando fractos in frustra pauperibus iussit cedere, docuitque, hos ipsos rectè denique mortalibus propitios esse: jam parentis furorem ut fortiter exceperit? Alapæ, vincula, unci, rotæ, flammæ velitationis speciem præbuere. Et in hac ipsa, cūm truncas corporis partes in vultum (hostis dicam, an parentis?) projiceret an non invito extorquere verecundiam potuit? Angeli deinde manu perlanata, an non iterum provocare hostem? Sed tota ecce acie mors occurrit: In lacum vulsinum præceps agitur, molari collo apenso. Vincit videlicet mari etiam virtus, & gaudet CHRISTINA à Christo toto lacu nunc baptizari, quæ omni sanguine nuper. Quid quòd incolumis enatat? parens morte infelici stygiis undis mergitur. Quid ages, qui in officio pariter & odiis succedis Dion? quid Juliane? oleum iterum ardens affundis? cūm operam perdis, picem ingeris? Christo adhæret: fornacem paras?

ras? iterum cantus inter flammis audis: serpentes cogis? jam stygios vicit. Ubera rescas? non eget his Virgo: Sagittis denique petis? pennas addis in coelum volanti. Si nescis, illa tibi, illi meta coelum est. *Ex Matt. Rom. Adono & Pet. de Nat.*

MEDITATIO.

Omnes querunt quæ sua sunt.

1. Suis quisque studet commodis. Avarus quærit divitias: superbus honores, voluptarius voluptates: hinc duo inferas oportet: primo fidendum esse paucis: paucos enim reperire est qui sua non querunt. *Uni Deo confide, non te fallat.* Secundò stupendam esse hominum cæcitatem, qui neglectis æternis bonis fragilia amplectantur: nonne tu que que multis in actionibus tuæ potiùs quam divinæ gloriæ servis?

2. Sunt quàm paucissimi qui querant quæ sunt Jesu Christi, ac ejus gloriæ consulant. Imo qui divinæ gloriæ videntur consecrati, ii sæpe numero vel gloriam vel commoda sua sequuntur. Quorsum spectant labores tui? frustra dicis te Deo laborare, nisi verbis facta respondeant, *Potes linguâ negasse, quod manu confiteris: verbo destruere quod factò struis.* Tertull.

3. Rectè sibi suisque commodis servit qui servit Deo; is quippe suam salutem negotiorum summam operatur. Quàm bonus es amantissime Deus! mihi laboro si laborem tibi, quàm malus ego! qui perire malim serviens peccatis, quam salvari obsequens.

Deus

Deus meus sine me felix es; at ego sine te infelix.
 Deus nostrâ servitute non indiget, nos illius dominatione in-
 digemus. August.

S. JACOBUS Apostolus.

25. Julii.

*Pacem relinquo vobis; pacem meam
 do vobis, non quomodo mundus
 dat ego do vobis, non turbetur cor
 vestrum neque formidet.* Joh. cap. 14.

LAudes JACOBI scripturo pennam ultrò
 JACOBI volucres ingerunt. Audi juven-
 tus, & Patronum tuum mecum lauda. Ibant
 Conjuges pii Compostellam, & trahebant
 pietatis suæ comitem filium forma liberali ju-
 venem. O ut periculose Castitas peregrina-
 ris! Hospitis filia oculis capta adolescentis, ca-
 pere etiam ipsum nititur Evadit hic mulie-
 bris amoris laqueos, sed non odii, Subdola
 enim inter sarcinulas castissimi aureum cra-
 terem condit, & abeuntem de furto accusat.
 Damnatur, ducitur, & in crucem tollitur;
 sed non moritur innocentia. Dum enim mæ-
 sti parentes iter relegunt, dum agrè & pedes
 trahunt & animas, senectutis scipione filio
 amisso

amisso, dum frui illos vel pendentis aspectu
 juvat, ecce ab infelici arbore filius: quid la-
 crymis vivo parentas Mater? vivo Dei Matre
 & JACOBO succollantibus, i, Judici dic, ne
 damnare pergat; quem mors absolvit. Vix
 hæc ille ad Matrem, cum Mater hoc ad judi-
 cem mensæ accumbentem. Hic; tam scilicet
 filius tuus vivit, quam assus hic cum Gallina
 sua Gallus, qui lautus unctusque sepulchrum
 stomachum exspectat. Jam carpere parabat,
 cum Gallus & Gallina in vitam se erigunt, In-
 nocentiæ victricis alis applaudunt. Gallus
 etiam pæana canit: Ergo damnat se ipsum ju-
 dex, & innocentem missum facit, volucrum
 verò proles posthuma etiam hodie plumas
 suas cum laudibus IACOBI in omnem orbem
 spargit, nunquam omnes, licet tot quotidie
 vellicent evellendas. *Ex L. Mariano. l. 5. de red. Hisp.
 c. ult.*

MEDITATIO

In vitam S. Jacobi.

I. Simulac S. Iacobus Iesu vocem audivit, navicu-
 lam, retia, patrem omnia denique reliquit.
 Jam dudum vocat te Iesus ad sanctiorem vivendi mo-
 dum? at hujus mundi vinculis irretitus, cupiditatibus
 nimirum, divitiis & aliis id genus nugis, Iesum vo-
 cantem non sequeris. Age rumpe vincula, expedi te
 quam

quamprimum negotiis quibus ligaris, ea enim minus decent hominem qui creatus est ad amandum unum Deum.

2. Is Apostolus multo cum labore ad animarum salutem incumbens, parum proficiebat; attamen voluntatem suam ad divinam accommodans nonangebatur modico fructu; fac quod potes & debes ut demandatam tibi provinciam expleas. si fructus labori respondent refer gratiam & gloriam Deo: sin minus ne doleas, à DEO quippe pendet felix rerum exitus. Si votorum fieres compos fortè, humanæ gloriæ ventis agitatus naufragium faceres.

3. S. Iacobus ingratham Ierusalem patriam suam repetiit, quæ illatâ nece labores ejus remuneravit. Expectare debes mala ab iis quos bonis cumulasti. Deum quærentes nunquam deficiunt afflictiones, & tolerantia: at præsens infelicitas argumentum est futuræ felicitatis. *Quarunt tribulationes & necessitates iustum, invenitur cui corona debetur.* Ambros.

S. ANNA MATER
B. V. MARIAE.

26 Julii.

Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Matt. cap. 7.

Nobili.

Nobilitas arboris ex fructu cognoscitur:
 ex prole matris dignitas. Sancta Mater
 ANNA in Bethlehem nata, genere Sacerdo-
 tali, tribu Araonicâ, radice prophetica & re-
 gia: nupta hæc Ioachimo in Galilæa, juveni
 stirpis regiæ, & magnæ virtutis. Nobile par
 conjugum, sed infecundum. Cùm se steriles
 viderent, vigintiannorum continentiam orna-
 vere connubium: opes & proventus annuos
 in pauperes, templum & usibus suis æquali
 sorte partiti. At post multum temporis, Io-
 achimo à sacrificio, cum convitio sterilitatis,
 rejecto, multis lacrymis, junctisque precibus
 petebat infamiæ remedium è cœlo, & ecce
 ANNA ab Angelo, & ab eodem Ioachimus
 ad connubium revocantur: auferendam vir-
 tute divina sterilitatis notam, filiamque ex iis
 generandam Sarâ & Rachele celebriorem.
 Credidere cœlesti genio, concepta sine ma-
 cula Dei futura Mater, Gratiâque peperit
 Dominam, cùm ANNA genuit MARIAM,
 cœli terræque futuram Reginam. Ita ANNA
 cùm sanctissimam prolem primis infantia
 educâset annis, Deo in templo reddidit tri-
 mulam, quam se divinitus accepisse agnovit.
 Tu Annam jam cœlo gloriosam, ut patronæ
 tuæ Matrem honora, ut aliquando moritu-
 rus audire possis, quod Beatissima Virgo cli-

enti cuidam suo in agone spondit *Quia Matrem meam honorasti semper, infernum, ne illuc intres, occludemus, Lippoloo.*

M E D I T A T I O.

Quomodo orandum sit exemplo

S. ANNÆ.

1. **S.** ANNA petiit à Domino ut probrosam sterilitatem cum fecunditate mutaret; non prius tamen Deum exoravit quam annos 20. in jejuniis & precibus consumplisset. Noli spem abjicere si tibi Deus non statim concedat, quod ab eo petis. Persevera in oratione, tandem impetrabis, modo res bonas cum humilitate & fiducia petas. *Differt dare ut deceat petere; dissimulat audire petentem ut faciat perseverantem.* Anselm.

2. Protinus aut nihil ambigens credidit Angelo nuncianti ipsam concepturam esse. Christus dixit accepturum te quidquid petieris: dubitas tamen? nec Deo dandi potestas deest cum sit omnipotens, nec voluntas cum ipse libentius gratias effundat, quam tu accipias. Pete igitur sed cum vivâ fide & per meritum Christi. Nunquid verum est ad Deum te duntaxat confugere, cum frustra adhibitâ humanâ ope ad extremas redactus es angustias? oportet primum omnium Deum invocare, & omnia tibi feliciter cadent.

3. S. Anna non immemor acceptæ gratiæ, Deo reddit quod acceperat à Deo, ipsique offert filiam suam. Ante Deo memorem præstitisti tot gratiarum quas ab eo accepisti? fortè harum oblitus es, ve-

... quod...

(quod pejus est) usus es beneficiis ad contumeliam
benefactoris: at memineris, quòd accipiendis indignus
est, qui de acceptis fuerit ingratus Bernard.

S. PANTALEON M.

27. Julii.

*Omnis turba querebat eum tangere,
quia virtus de illo exibat & sana-
bat omnes. Luc. 6. v. 19.*

PANTALEON sive PANTALEEMON (namq;
hoc illi nomen morituro cœlum fecit)
adolescens medicinæ operam dedit. Sed
compendium illi ad hanc artem rectius Her-
molaus in Christi Schola ostendit, quando
in hujus nomine latère panaceam edocuit.
Experimentum à puero sumptum, quem vi-
pera morsu enecarat. Hunc uno Christi no-
mine vitæ reddidit, & succedaneam victi-
mam morti vipera dedit. Eadem medicinâ
noctem oculis excoecari pepulit gemino mi-
raculo, nam hoc tenebras etiam parentis ani-
mo discussit, fidemque fecit aspicere. Verum
his rectè videntibus, oculi ipsis medicis cœ-
perunt dolere, cùm æsculapium suum ad
Christianos transisse viderent. Quin in-
vidiâ excoecatus etiam Imperator Maximinia-

E

nus

nus in medicum coepit furere, cum paralyſi
 afflictum in pedes erexiſſet, quem in opem à
 ſacrificulis vocatus Phæbus deſtituerat. Ferro
 igitur, & ignibus ſævit, liquato oleo perfun-
 dit, ex equuleo ſuſpēdit, undis mergit, ro-
 tæ innectit, nequicquam ingenioſus in pœ-
 nas; cum medici vulneribus medicinam
 Chriſtus ſemper faceret, & diras omnes car-
 nificum turbas averteret. Spiculator quoque
 ad primum iſtum ferrum ſuum ceram eſſe,
 & collum martyris marmor deprehendit.
 Reſectum denique caput lactis liquorem: &
 Oleaſter ad quem victus Martyr ſteterat, ſu-
 bitas frondes dare viſus eſt. Voluit Herculem
 ſuum coronare. *Ex Metaphr.*

MEDITATIO.

Deus eſt medicus animarum

1. **U**T Chriſtus animæ noſtræ morbos curet, no-
 biſcum agit ut medicus cum ægrotis; primum
 jubet ut voluptatibus abſtineamus, more medico-
 rum, qui rejectis iis quæ palato arrident, diatam &
 amara præſcribunt pharmaca. Unde fit repugnant
 animo oblatam à Deo medicinam ad ſalutem animæ
 delibemus, amarulenta vero Pharmaca ad ſalutem
 corporis facilius exhauriamus?

2. Aperienda vena, & amputanda ſunt interdum
 membra ut æger relevetur, eandem præſus curatio-
 nem Deus adhibet peccatori, Novit pecuniam, quæ
 in

inmundo est, quod in corpore sanguis, causam esse morborum, vel propter excessum, vel propter præposterum usum; sanguis corrumpetur: morieris, nisi effuderis illum in pauperes, ut in terreno, sic in cœlesti commercio, leve detrimentum gradus est ad lacrum maximum. *Etsi aliqua amisisti vitæ gaudia, negotiatio est aliqua amittere, ut majora lucreris.* Tertull.

3. Hæc duo potissimum curant ex morbo convalescentes. Primum certam habent vivendi rationem: alterum, salubri duntaxat cibo vescuntur, Rogat tuæ conscientia moderatorum, ut doceat te rectum vivendi modum, à quo nunquam nec transversum unguem discedas: Angelorum cibo frequentius utere hoc cibo nutrieris, & in Jesum mutaberis.

S. NICETAS MART.

28. Julii.

Sic pugno, non quasi aërem verberans. 1. Cor. 9.

ÆGyptius hic juvenis, à pugna heroica **NICETÆ** insignitus nomine, Angelus ob puritatem videri potuisset, nisi sanguis ejus, pro integritate conservanda, fusus, hominem probasset. Scivit hic, non nocere sensum, ubi non est consensus: quia tamen mori maluit, quàm etiam innocens foedari, majore & acerbioris sensu, sensum periculoso-

E 2

sum

sum frangere & propulsare aggressus in carne
 carnem superavit. Exposuit Angelicum ju-
 venem Decii tyrannis omnibus sensuum ille-
 cebris. In molli lectulo depositus, inter ro-
 sarum & liliorum odores, fontium amænos
 strepitus, sericis captus fasciis, desolatus jace-
 bat: jamque turpis lupa irruebat, blanda
 voce Syren, manu fœda Harpia, pudoris in-
 festa prædatrix. Conclamatum videbatur de
 inermis & proditi innocentia. At, dejecto
 corpore, erectus NICETÆ animus, surrexit
 in pugnam, quique manu non poterat vin-
 ctus, ore adhuc solo libero pugnavit: præ-
 mordit dentibus linguam, inque effrontis
 prostibuli faciem expuit. Ita, vulneris dolo-
 re, sequioris sensus amolitus periculum, fu-
 gavit insuper imprudens scortum, rubricâ san-
 guinis sui, velut stigmatè notatum. Tu par-
 thenie Sodalis, vel mutum hic monitorem
 audi, ne ultrò in talem necessitatem te conji-
 cias, ubi periculosa pugna, rarissima verò
 victoria est. *Ex Hieron. & Niceph.*

MEDITATIO.

De propugnanda Castitate.

- I. **N**icetas elinguis docet horrorem peccati. Quo-
 modo possum hoc malum facere & peccare in Deum
 meum. Dicit cum Iosepho Gen. 39 perpende
 DEUM

DEUM MEUM factorē meū; Patrē meū & Iudicē meū;
Loquitur cum Susanna Dan; 13. *Melius est mihi incidere in manus vestras, carnificum, quam peccare S. Ansel. Episc. Cantua. Si hinc peccati horrorem inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessariū uni illorum immergi deberem prius infernum quam peccatum appeterem.*

2. Docet elinguis Nicetas Deum habendum præ oculis in pugna carnis. *Pudicus adolescens Dei recordatione velut rore animum suum perfundebat, ne impij amoris, igne torreretur ait S. Ephrem, de casto Iosepho; & nos de Niceta, ne dicas cum Senibus sceleratis Dan. 13. Ostia clausa sunt & nemo nos videt. Nonne? renum quoque testis est Deus. Sap. 1.*

3. Docet Nicetas ad resistendum peccato, superare volenti cum gratia DEI, nunquam non arma in promptu esse, & neminem vinci nisi ipse velit. Clamat Susanna: fugit Iosephus: orat Petrus *Salva nos perimus*: linguæ vulnere se defendit Nicetas. Et quid tu facis in pugna? *tantum dixit diabolus ad Christum mitte te deorsum, ut intelligamus quod qui obedit diabolo, ipse se deponit. Nil. Serm. 12. in Psal, qui habitant.*

S. MARTHA VIRGO

29. Julii.

Martha Martha sollicita es & turbaris erga plurima, porro unum est necessarium. Luc. 10.

E 3

Mar.

MARTHAM Magdalena & Lazari sororem quam post Christi necem persecuti Iudæi in exiliū lacerâ navi ejecerunt, Massilia felix excepit. Illic triginta annis religiosi Deo Virginibus virgo præfuit, eo rigore, ut ab omni vino & carne semper abstinens, non nisi semel in die aliquid edulii caperet. Centies die quavis, totiesque singulis noctibus ad orationem genua submittebat, draconem illis locis infestum aquæ piacularis aspergine depulit, sicque pluribus famosa miraculis, suisque in omni virtute dux & magistra consecuit. Octava, ante mortem, die, Servator eam noster cum Matre Virgine & S. Magdalena invisere dignatus, jamjam se vices ei repensurum spondit, recipiendo ad cœlestes æternam hospitam suam, quæ toties eum tam sollicita, excepisset, fovissetque domi suæ in terris. Subinde mortis edocta tempus, conspersa cinere, humi deponi à suis voluit supina, ut cœlum ei in conspectu esset, ad quod moriens properabat. Ita in osculo crucis, quò invitata erat, decessit, viam monstrans omnibus, qui ad mortem usque, in Communione sacra, servatorem nostrum, pari cum ea sollicitudine religioso corde susceperint. *Ex Evang. & Petro de natal. Ribadeneira.*

Medi.

MEDITATIO.

De uno & maxime necessario.

1. **N**Unquam non laboras in divitiis & honoribus
 ac scientiis acquirendis, hæc tamen omnia
 non admodum necessaria tibi sunt: siquidem sine di-
 vitiis, scientiis, & dignitatibus cœlo adscribi potes.
 Depone inutilem negotiorum laborem: nisi in eo
 quoque curæ tuæ invigilent, & cogitationes tuæ, ut
 salvus fias. Utinam! posses dicere cum Tertulliano:
*Secessi de Populo, imò unicum negotium mihi est, nec aliud
 nunc curo, quam ne curem.*

2. Salutis negotium cùm corpori tum animæ per-
 necessarium est. Immortalis hæc anima, neglectis
 corporis voluptatibus in tuto ac beato loco collocan-
 da est, in quo corpus ipsum purioribus ac suaviori-
 bus voluptatibus fruatur. Honores deliciae & mun-
 dana quæque, quorum cupidissimus es, prætereunt.
 Quod animæ tuæ paraveris hoc unicum manet. Vide
 quid adhuc feceris Dei causa? nec te pudoris & vere-
 cundiæ materies deficiet.

3. Funditus periisti, nisi dum vivis, tuæ saluti va-
 ces. Unum duntaxat corpus, unam animam, unam
 vitam habes. Semel homo moritur, ubi ceciderit ar-
 bor, ibi erit in æternum. Quomodo ad hunc usque
 diem operatus es salutem tuam? Heu! *rerum
 necessariarum nullam rationem, superfluatorum
 & inanium plurimam habemus:*

Chrysoft.

SS. ABDON & SENNEN MATYRES.

30. Julii

*Existimo omnia detrimentum esse
propter eminentem scientiam JE-
SU Christi, Domini mei, propter
quem omnia detrimentum feci.*
S. Paul. ad Philip.

Censebantur ABDON & SENNEN, inter
primos Persiæ purpuratos. & verò nisi
cunæ in Patria, mors Romæ purpuram do-
nâsset. Nam quod Christiano Principe non
indignum officium arbitrarentur, Martyrum
esse vespilones, suisque manibus terræ man-
dare horum corpora gauderent, victos De-
cius Romam adduxit. Ibi ad tyranni tribu-
nal steterunt auro gemmisque splendidi rei;
sed extinguebant harum lucem catenæ ferreæ,
quas nimiùm quantum gloriosi jactabant.
Itaque, cùm munera ingentia promitteret
tyrannus si ad Deos transierint, risere scilli-
cet, & ad omnia tormenta provocârunt.
Plumbatis igitur tentati, contra ferreos se
præbuerunt. Inde in theatro feris objecti; sed
plau-

plausum meruere, & victa Martyribus colla
 leones submisere, feræque cicures hominem
 contra feros homines visæ defendere. Re-
 perti interim, qui necem inferrent, gladia-
 tores. Sed & Martyres tales se probârunt,
 cum jugulum fortiter gladio dederunt. Ex-
 tincti triduum tumulo caruere, dum Cyri-
 nus plumbeis loculis clausum aurum defo-
 dit, quod iterum deinde erutum est in lucem,
 cum Orbi Christiano Sol suus Constantinus
 luxit. *Ex actis S. Laurentij.*

MEDITATIO.

Servire Deo, suave, non mundo.

1. **A** Servis suis parum requirit Deus, & illud pa-
 rum, jucundum, utile, atque honorificum
 est, gloriosum certè est Deo servire, quandoquidem
 vel hac in vita servi Dei singulari reverentiâ coluntur.
 Ad hæc utile est, sed utilitas tota nostra est. Cum bo-
 norum nostrorum non indigeat Deus: Postremo ju-
 cundum, quod virtus rationi apprimè congruat, &
 Deus cælestibus gaudiis suos servos perfundat. Pro-
 ba quæ dico, & brevi dices, nullum esse in divino
 obsequio laborem, si comparetur cum suavitate quæ
 in illo percipitur.

2. Si verò qui mundum colunt, intolerabilem ser-
 viunt servitutem: nunquid turpe est dæmonis & cu-
 piditatum esse mancipium? nunquid vitæ solutioris
 homines sui similes, si minus palam, certè in corde

E s

suo

suo damnant? an is lætari potest, cujus animus pre-
 mitur scelerum conscientia, & cupiditatum procellis
 exagitur? quid mundo servimus? quid mundum
 amamus? quandoquidem *laboriosior est hujus mundi a-*
mor, quam Dei. Augustin.

3. Unde tamen tam multi mundo, tam pauci
 Deo serviunt? ex eo sanè, quod neglectis evangelii
 placitis, mundum duntaxat audiant, quod mortua sit
 multorum fides, quodque plerique pravam consue-
 tudinem non veritatem sequantur. *Christus veritatem*
se, non consuetudinem cognominavit. Tertull.

S. IGNATIUS LOJOLA CONFESSOR.

31. Julii.

Omnia in gloriam DEI facite.

S. Paul. I ad Cor. Cap. 10.

IGNATIUS è Nobili milite Societatis Iesu
 Dux, animi sanitatem pedum debet vulne-
 ri, hujus curationem D. Petro, vitæ immu-
 tationem piorum librorum lectioni, Castita-
 tis verò donum Virgini Magnæ, quæ cum fi-
 liolo suo spectandam illi se dedit. Ad hujus a-
 ram, cum opima spolia (arma sibi detracta)
 suspendisset inter miros pænitentia rigores,
 MARIA dictante, libellum illum Asceticum
 scripsit, quem ne libro satis laudes. Cum ho-

ras

ras Virginis percurreret, ad arcanum SS. Mariadis aspectum admissus est: ejusdem Sabbatho extra se raptus, nonnisi altero Sabbatho ad corpus rediit. Animarum lucro inhians, vir annorum XXXIII. literas discere est aggressus; mox socios scribere, parvas copias, sed ingens orbi laboranti praesidium, & cui JESUS ipse propitium Romae se fore appromisit. Unicum ei symbolum fuit, *Major Dei Gloria*: perquam familiaris illa cum lacrymis vox: *heu quam sordet terra, cum caelum aspicio!* Hoc obtinuit Anno M. D. LVI. Vir divinis ostentis, vaticiniis, miraculis clarus & natus Ecclesiae bono. Nam sanctior juventutis educatio, reductae ab exilio Musae, proscriptae haereses, assertus DD. & templorum cultus; frequens iterum Sacramentorum usus, demum uterque Orbis, ille Christo subactus, hic servatus, & quicquid in utroque filii & faciunt fortiter, vel patiuntur, id omne IGNATIUM est opus. De Sodalitatibus Virginis quid dicam? quisquis ex his MARIAM Matrem clamas, recte IGNATIUM patrem dices. *Ex vita.*

MEDITATIO.

De tribus gradibus ad perfectionem

1. **S.** Ignatius in sua solitudine formam designavit spiritualis aedificii, quod toto vitae tempore aedifica-

dificaturus erat. In libello exercitiorum aperit viam perfectionis quam ipse secutus est, quamque alii sequi possunt, ut recta & compendiosa via perveniant ad veram perfectionem. Primò lacrymis, & acriter pœnitentiâ expiavit peccata sua. Pœnitentia primus est ad perfectionem gradus, copiosis lacrymis delenda sunt peccata; ita sancti omnes. An tu sanctos imitaris?

2. Secundus gradus ad perfectionem est imitatio Christi agentis, ac patientis, divinæ gloriæ & animarum salutis causâ: hanc Ignatius in exercitiis verbodocuit, & confirmavit exemplo. Omnino si quidem expressit illud prædestinatorum exemplar. Ut Jesus, quamdiu vixit: incubuit ad animarum salutem. Quamobrem injuriis appetitus carceri mandatus, & tantum non occisus est. An imitaris patientiam & humilitatem Christi? S. Ignatii exemplo fac omnia ad majorem Dei gloriam.

3. Tertius gradus est humanæ voluntatis cum divinâ conjunctio, quâ S. Ignatius attigit apicem Sanctitatis, ad quam se ducem præbet in libello suo. Ut autem illuc pertingeret, omnibus valere jussis, adhaerere soli Deo: nos verò *omnia amamus, omnia colimus, solus nobis in comparatione omnium Deus utilis est.* Salvianus.

